



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

VIII. De periculo Clericorum in eadem ciuitate, & de vno ad templum
confugiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Populo iam cō-
citato admi-
scet se ipsemet
impostor.*

*Populum in il-
lusionē confir-
mat.*

*Psalm. 63.
Decreta con-
tra S. Othonem
& comites.*

Sefridus.

*Populum cōtra
comites S. Otho-
nis cōgregatur.*

tate. Postremò, ac si nescius omnium, aduenit Sacerdos, in di-
gnationem primò simulans, quasi de mendacio, deinde atten-
tius audire, & obtestari cœpit hominem, vt vera tantum nar-
rans, nullo figmento populum sollicitaret. At ille, vt erat rusti-
cane simplicitatis, manus tendere, oculos ad cælum leuare,
magnisq; iuramentis & forti protestatione rem ita se habere
asserens, etiam locum ipsius apparitionis se ostensurum polli-
cetur. Tunc Sacerdos conuersus ad populum, vanè suspirans:
En hoc est, inquit, quod toto anno dicebam. Quid nobis cum
alieno Deo? quid nobis cum religione Christianorum? Iustè
mouetur & irascitur Deus noster, si post omnia benefacta eius
stulti & ingrati ad alium conuertimur. Sed ne iratus occidat
nos, illis irascamur, & occidamus eos, qui nos seducere veniunt.

Quod dictum cum placuisset omnibus, firmauerunt de-
cretum, vt, si Otto Episcopus, vel quispiam de societate eius
ciuitatem intraret, sine mora occideretur. Item, firmauerunt suis
sermonem, nequam scilicet, vt si nocte vel clam intrantes quisquã
recto reciperet, simili sententiæ subiaceret. Et hæc agentes,
multis opprobriis, & verborum iniuriis religionem nostram
blasphemantes deridebant.

*De periculo Clericorum in eadem ciuitate, &
de vno ad templum fugiente.*

CAPVT OCTAVVM.



Taque urbem ingressus, Duce fideliter ac strenuè
ad omnia cooperante, semen sparsit Euangelij, &
dura incredulorum corda placidæ prædicationis
vngueto paulatim detumescere faciebat. Interea
quidam de sociis nostris, Vdalricum & Albinum de latibulis
suis emergentes, & iunctos nobis timorè suum referentes de-
riferunt, & quasi eis insultantes securius se habere cœperunt,
& longius à suis digressi, fana etiam idolorum, Episcopo ser-
monem exhortationis protrahente, speculatum vagabantur.

Verùm quidam maligni homines, apud quos radix paga-
nismi adhuc valentius vigeat: En, inquit, isti explorant
quo-

quomodo templâ nostra incédant; & congregantes se in platea, etiam arma portare & fustes cœperunt; & qua transitori videbamur, nobis obuiam stare. Vdalricus autem intuens illos eminens & subsistens; non aduertitis, inquit, hos non sine causa conuenire. Nam & turbulenter se habent; & arma habent omnes: & prioris periculi recordans: Nolo, inquit, toties tentare Deum meum: & conuersus illò, ubi Episcopum dimiserat, redire cœpit; aliis omnibus eum sequentibus, præter clericum quendam, nomine Theodoricum; qui longius ante illos progressus, iam fores delubri tenebat.

*Pedem referunt
Vdalricus &
alij.*

*Vnum ex clericis
ad delubri
pergit.*

Videntes autem pagani, qui conuenerant, illos arrepta via reuerfos, persequi quidem eos non audebât; sed ad illum Clericum interficiendum omnes accurrunt. Quo viso, ille aliud, quò declinaret, non habens, fanum ipsum audacter, quamuis exterritus, intrauit. Erat autem illic clypeus pendens in pariete miræ magnitudinis, operoso artificio, auri laminis obtextus, quem contingere nulli mortalium liceret, eò quod esset illis nescio quid in hoc sacrosanctum, ac pagane religionis auspiciu, in tantu, vt nunquam, nisi belli solummodo tempore, à loco suo moueri deberet. Nam vt postea cõperimus, Deo suo ** Gerouito*, qui lingua Latina *Mars* dicitur, erat consecratus, & in omni prælio victores sese, hoc præuio, confidebant.

*Quem plebs
insequitur.
Ipse ad fanum
fugit.
Clypeum arripit.
& eo plebs
fugat.*

** Cramerus
Prædicans lib.
1. Chronici cap.
29. dicit VVol-*

*gastensibus fuisse duo idola:
Herouitum &
Barouitum; hunc
pro Mercurio;
illum, pro Marte
habitu.*

*Videturq; hic
legendum:
Herouito.
Rustici partim
fugunt; partim
obrigescunt.
S. Otho monet
suos, vt caute
agant.*

Clericus autem vir acris ingenij, dum metu mortis in templo huc illucq; diffugeret, telum aliquod vel latibulum quærans, clypeum corripuit, & amento collo iniecto, leuaq; loris inserta, in medium turbæ furentis è ianua prosiliit. Rustici verò prodigialem armaturam videntes, partim in fugam conuersi, partim etiam quasi exanimis facti in terram cadunt. Ille autem proiecto clypeo versus hospitium ad socios currere cœpit, & pedibus timor addidit alas. Cumq; anhelans & pavidus ad suos peruenisset, de ipsa huius trepidatione, & eorum, qui præmissi fuerât, triduana occultatione, apud omnes, præcipue verò apud Episcopum & Ducem, tota nocte illa, iucunda erat narratio. Monuit tamen pius Pater filios suos, & discipulos, propter insidias latētis inimici, vt se circumspectè agerent. Tam diu ergò mansit in loco illo disputans ac suadens de

*Conuertuntur
Hologastenses.*

regno Dei, quousque omnis populus fidei Sacramenta suscipiens, fana sua destrueret, & Ecclesiæ sanctuarium cum altari præpararet. Quod Episcopus consecrans Ioannem Presbyterum eis ordinauit, & vt reliquam Basilicæ fabricam post suum discessum promouerent, admonuit.

*De legatis Marchionis Adalberti de
Saxonia.*


CAPVT NONVM.

*Sefidus.
Edit. Canis.
lib. 3. cap. 8.
Cur. Marchio-
nis Adalberti
pro S. Othone.*



VM ea gerebantur, legati Marchionis Adalberti de Saxonia superuenere opera & statum Episcopi studiosè inquirentes. Marchio enim cum esset amicus valde & familiaris Episcopo, in gente barbara hunc periclitari metuebat. Vnde, si opus haberet, præsidium ei, & opem ferre cupiebat. Affuere simul ipsius Episcopi Oeconomi, & procuratorum nuncij, aurum, argentum, vestes quoque & alia necessaria ei deferentes. Vt enim supra dictum est, licet Euangelium annuncians de Euangelio viuere deberet, ipse nihil horum vti volens, suis se tantum vibus transigebat. Igitur legatos omnes apud se ibi tam diu detinuit, quousque videndo & audiendo discerent, quid de ipsius operibus aut statu referre deberent.

Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius ciuitatis, ad dedicationem altaris ac sanctuarij iam surgentis Basilicæ, multa exultatione populi, deuotus Præsul accingitur, omni studio & diligentia ipsi facto decorem, & reuerentiam procurans, quatenus de amissione prioris fani, vel celebritatis minimè dolerent melioris solennitatis tripudio, & melioris fabricæ ornamento consolati.



De